



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

IV. De Confirmationis Sacramento.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

## TITULUS IV.

## §. 1. Materia &amp; forma hujus Sacramenti.

Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo quod nitorem significat conscientie & balsamo (quod odorem significat bonae famae) per Episcopum benedicto. Forma autem est: *Signo te signo Crucis. confirmo te Christiano salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Concil. Florent. in instruct. Arm. de hoc Sacram.*

## §. 2. Effectus.

Effectus autem hujus Sacramenti est; quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen, *idem Conc. Florent. d. loco, can. 1. & 5, de consec. dist. 5, can. 2, d. dist. 5, Quamvis inquit Melchior de Papa, continuo d. transituris sufficiant regenerationis beneficia, vi-*

auris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati seculi recipiendos: Confirmatio autem armat & instruit ad agones mundi hujus & praelia reservandos, *can. 2, d. dist. 5.*

## §. 3. Minister.

Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus, *Concil. Flor. d. loco, Trid. sess. 7, can. 3, de Confirm. can. 3, cum 2, seqq. de consec. dist. 5, cap. Quanto 4, Ext. De consuet.* Nam quod simplicem sacerdotem aliquando Confirmationem contulisse accepimus, id plane extraordinarium fuit, ex dispensatione Pontificis, *Concil. Flor. d. loco, adde text. in can. 1, dist. 95, & D. Thom. in 3, parte quest. 72, art. 11, ad 1, argum.*

## DE EUCHARISTIA.

## TITULUS V.

## §. 1. Eucharistia quid? Christum ipsum continet.

Tertium Sacramentum est Eucharistia, Latine bona gratia dicta; quod re ipsa Christum contineat, qui est plenus gratia, *can. Multi 84, circa med. I. qu. 1, D. Thom. in 3, parte qu. 73, art. 4, in respons.* Et his verbis recte describitur: Eucharistia est Sacramentum continens sub specie panis & vini, vel alterius eorum, verum corpus & sanguinem Christi, *can. Nos autem 41, cum can. seq. de consec. dist. 2. & Concil. Flor. in instruct. Arm. de hoc Sacram. Concil. Trid. sess. 1, cap. 1, & cap. 3, can. 1. & 3.* Corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; Divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypostaticam unionem, *ex Conc. Trid. sess. 13, cap. 3, in decreto de hoc*

*Sacram. can. Species, can. Cum frangitur, can. Ante benedictionem cum 3, seqq. de consec. dist. 2, a*

## §. 2. De materia &amp; forma Eucharistia.

Quare materia Eucharistiae est panis triticeus, & vinum de vite (ut loquitur Concilium Florent. alleg. loco) cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet, *idem Conc. Flor. d. loco, & can. 1, de consec. dist. 2.* Et haec forma verborum accedente, in corpus & sanguinem Christi transubstantiantur sive convertuntur, *can. Nos autem 41, can. Panis 55, can. Corpus 60, de consec. dist. 2, cap. 1, §. vera Extrav. De summa Trinit. Concil. Flor. d. loco & Trid. c. 4, adde cap. Cum Marcha 7, §. quaevis Extrav. De celeb. Missar. & D. Thom. p. 3, quest. 74, art. 8, in respons. ubi agitur & de conversione aqua.*

## §. 3. De ministro hujus Sacramenti.

Et sicut hoc Sacramentum nemo alius conficit quam Sacerdos, *d. §. vera: ita nemo alius pra-*

M m m m

t e r